



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentaria Vetustissima & profundissima Super Canticvm Canticorum Salomonis Qvod Hebraice Dicitvr Sirhasirim

Wolbero <de Sancto Pantaleone>

Coloniae Agrippinae, 1630

Versvs III. Oleum effusum nomen tuum: ideò adolexcentulae dilexerunt te.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10027

1. Iob. 2.
Vnctio interio-
rior antidotum animæ.

eius docebit vos de omnibus.
Nempe talis vnctio vera interioris hominis est medicina, & fortissimum contra morbos animæ antidotum, quo peccati vulnere fauciam sanat & vegetat, mentem illuminat, ad munera diuinæ gratiæ promerenda excitat; postremò tanta huius dulcedinis vigore perlustrat, vt posteriorum obliuiscens & in ante se extendens, & super se erigat dicens cum Apostolo, *nostra autem conuersatio in cælis est*, vbi ab omni miseriam libertate adeptam, *satiatur ab vberibus consolationis Dei, & epuletur ab introitu gloriæ eius.*

Philip. 3.

Esa. 66.

Item duo vbera doctrina & operatio Christi.

Possunt quoque non inconuenienter accipi huius dilecti vbera, doctrina & operatio Domini nostri Iesu Christi, quibus in humanitate sua mundo innotuit optimis virtutum vnguentis & tunc & nunc redolentibus; tunc quidem primitias nouæ fidei doctrinæ lacte nutriens, & operationis virtute confirmans; nunc autem ipsius fidei plenitudinem quasi solido cibo doctrinæ roborans, & operationis exemplo ad honestæ vitæ perfectionem informans.

Per vinum lex vetus significatur.

Heb. 7.

1. Cor. 10.

Quæ profecto vbera tantæ pietatis & gratiæ vnguento redolentia, longè meliora sunt vino, id est, austeritate legalium Cæremoniarum, siue rerum gestarum, vtpote veritas vmbra; Spiritus viuificans literam occidente. *Nihil enim, vt ait Apostolus, ad perfectum addidit lex; sed omnia in figuram contingebant illis, scripta sunt*

autem ad correctionem nostram in quos fines sæculorum, deueniunt. Siue meliora vel potius incomparabilia sunt vino, id est voluptate sæcularium dogmatum, quæ cum Auditores suos vnguento carnis delectationis inficiunt, ad mortem animæ pertrahunt; & ita ab opposito quantum, ô dilecte, tuorum vberum consolatione, ad tuam gratiam anima proficit, tantum ab ipsa tua gratia, istorum exitiali confectione deficit.

Per vinum dogmata sæcularia significatur.

VERSVS. III.

Oleum effusum nomen tuum: id est adolescentula dilexerunt te.

Mirantur me intuentes, ô dilecte quod te sic laudo, quod tantam pietatis & dulcedinis tuæ gratiam prædico, quod tuum vultum, tuos amplexus tanta auiditate desidero, & scire optant, cuius nominis, cuiusue sis dignitatis, quem tanti æstimo, tanti iudicio, quibus ne se de ignorantia excusent, eò quod nomen tuum non sit eis annuntiatum dico quod *nomen tuum* non est occultum, non est absconditum, sed potius manifestum, & quasi *oleum effusum*, cuius natura est, vt cum effunditur, magis dilatetur.

Quomodo ergo effusum & dilatatum est nomen tuum? non vt quondam tantum in Iudæa notus es, & tantum in Israel magnum nomen tuum; sed sicut per alium Prophetam dicis

Oleum effusum est dilatatio nominis Christi.

Psal. 75.

Malach. 1. dicis a solis ortu vsque ad occasum magnum nomen tuum in gentibus, nomen Philip. 2. quod est super omne nomen, ita vt in nomine tuo omne genu flectatur, caelestium, Act. 4. terrestrium & in fernorum, Et non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, per quod oporteat nos saluari.

Et vteosmecum ad altiora pertraham, vt intelligant & nouerint, cur tantopere osculum tuum desiderem, cur vberum tuorum suauitate delecter audiant adhuc aliud, & perpendant quare dixerim, nomen tuum oleum effusum. Oleum quippe omnibus superfertur liquoribus. Quid ergo per oleum, nisi charitas accipitur, quæ cunctas excellit virtutes? Nempe nulla virtus sine charitate dici vel esse potest; quia vbi charitas non est, nulla virtus est: Nam si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut as sonans aut cymbalum tinniens, & si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest; & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil sum.

Excellentia charitatis. Ecce quantæ Virtutis, quantæ excellentiæ putatis charitas est, ita vt absque illa, neque Prophetia, neque scientia aliqua, neque fides, neque eleemosyna, neque martyrium aliquid sint? Quæ

autem est ista charitas? nimirum tu ^{Encomium S. Iohannis Euangelistæ} ô dilecte, sicut testatur ille tuus dilectus, osculo tuo pio inhaerens, & in pectore tuo recumbendo dulcedinem vberum tuorum hauriens, ille inquam caelestis Aquila, in ipsa secreta tua pennis sancte contemplationis volans & in te solem iustitiæ mentis aciem intendens. Et ^{1. Ioh. 4. Deus charitas est.} quid dicit? *Deus charitas est.* Tu ergo charitas diceris, & es, ô dilecte, quia charitas te fecit carnem assumere, & in hunc mundum venire, & pro humanâ salute vsque ad mortem ^{Ephes. 2. Rom. 8. Gal. 2.} crucis humiliari; & propter nimiam ^{Nomen Spõ- si qualiter effusum & dilatatum sit.} charitatem suam quâ dilexit nos Deus, Te filium suum misit in similitudinem ^{Psal. 132.} carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum, factus propter nos maledictum, vt nos a maledicto liberaret. Quâ ^{Interpretatio nominis Aaron.} liter autem hoc nomen tuum, nomen charitatis effusum & dilatatum est? Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam barbani Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius. Tu es Aaron, id est mons fortitudinis in quo scilicet capite nostro specialiter abundauit huius insigne charitatis quâ vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis illius videlicet exultationis qua exultasti, & tantam tuæ charitatis abundantiam ostendisse, & ordinem redemptionis nostræ impleuisse.

Cuius capitis barba fuerunt Apostoli siue Apostolici viri, in quos ^{Apostoli barba Aaron.} vnguenti huius gratia adeo profluxit; vt tibi tanquam barba

capiti sanctæ charitatis ardore vsq; ad mortem firmiter adhærent.

Omnia vesti-
menti Aaron
sunt fideles
nouissimi.
1. Cor. 10.

Quod descendit in oram vesti-
menti tui, quod nouerunt fideles
tui, à primâ ætate mundi, vsque ad
istam, in quâ nunc sumus, nos in quos
fines seculorum deuenerunt, qui Ora, id
est, finis huius vestimenti tui sumus,
in quibus omnibus, videlicet & pri-
oribus, & præsentibus, & futuris i-
stius vnguenti, id est charitatis for-
titudine, laborauit, & laboret, & la-
borabit, etiam in ipso fine sæculi
sub persecutione Antichristi pro
nomine tuo. *Nomen ergo tuum est oleum
effusum, quia charitas tua diffusa est in
cordibus nostris, per Spiritum Sanctum
qui datus est nobis.*

Rom. 5.

*Et: Ideo adolescentula dilexerunt
te nimis.*

Quia, inquit, tâta est dulcedo vber-
rû tuorû tanta charitatis tuæ copia,
vt magis inueniantur in te lenitas,
quàm asperitas, magis fouens de-
mentia quàm feriens sententia, ideo
adolescentula dilexerunt te nimis.

Adolescen-
tula quæ.

Quænam vero sunt istæ adoles-
centulæ? profecto fideles animæ, à
lacte quidem infantia submotæ, sed
necdum soliditatem perfectionis
consecutæ, ideo adhuc imbecillis,
& diuino adiutorio sustentari in-
digentes; ac propterea valde te, ô di-
lecte, dilexerunt & diligunt, quia
hoc in te attendunt, quod nequa-
quam refugiant, sed vnde magis
magisque ad perfectionis sublimi-

tatem quandoque conualescant.

Solent autem in sancta Scriptura <sup>Gratia imi-
tatur natu-
ram.</sup> per incrementa corporum designa-
ri incrementa mentium, quia sicut
in maiores ætates per naturam pro-
ficiunt homines, ita ad maiores a-
nimi virtutes per gratiam profici-
unt fideles, vnde ad infantiam, id est
innocentiam vitæ Petrus suos hor-
tatur Auditores dicens, *quasi modo* 1. Pet. 2.
*geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac
concupiscite, vt in eo crescatis in salutem.*
In Euangelio quoque Saluator dis-
cipulos ad puritatem & simplicita-
tem vitæ exhortans, *nisi, inquit, con-* Matth. 18.
*uersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli,
non intrabitis in regnum caelorum.* Et A- 1. Cor. 5.
postolus, *malitia, inquit, paruuli esto-
te, vt sensibus perfecti sitis.* Psalmista
quoque iuuentutem animæ suæ re-
nouari optans exemplo Aquilæ, re-
nouabitur, inquit, *vt aquila iuuentus* Psal. 102.
tua. Quatenus veterem exuens hominẽ
cum actibus suis, induat nouum, qui se-
cundum Deum creatus est in iustitiâ & Colof. 3.
sanctitate. Et in libro Sapientiæ mo- Ephes. 4.
rum grauitas senectute mentis ex-
primitur; cum dicitur, *Senectus ve-* Senectus
nerabilis est, non diuturna, neque anno- rum graui-
rum numero computata: cani sunt enim tas.
sensus hominis, & atas senectutis vita im- Sap. 4.
maculata.

Potest ergo incrementum bifa- <sup>Incrementum
duplex natu-
rale & affe-
ctuale.</sup> riam diuidi, vt dicatur incrementum
naturale, incrementum affectuale.
Et naturale quidem incrementum
ascribitur omni corporali creaturæ,
quæ vitali vegetatione iuxta suam
propriètatem naturaliter mouetur:

por-

porro affectuale soli rationali creaturæ iuxta modum donantis gratiæ in præfenti vita tribuitur cuius gratiæ adiutorio cōtra vitia carnis fortitudine Spiritus ad bona, & de bonis ad meliora promouetur.

Incrementū naturale significatiuū est affectualis Pſal. 68.

Plerumque autem in diuina Scriptura naturale incrementum, affectualis significatiuum est, sicut Pſal. 68. *inquit, Deo super vitulum nouellum cornua producentem & vngulas.* Nam si secundum literam intelligas, quæ cura Deo de irrationabili iumento cornua & vngulas naturaliter producente? Sed si altius iuxta mysticum sensum conſideres vitulum nouellum accipere potes mentem ad Dominum nouiter conuersam, & flore bonæ actionis pullulantem quam Apostolus nouum hominem appellat dicens, *induite nouū hominem eū qui renouatur in agnitione, secundum imaginem eius qui creauit eum.* Cuius hominis partes constitutiuas infra enumerans, *induite, inquit, vos sicut electi Dei viscera misericordie, benignitatem, humilitatē, modestiam, patientiam, supportantes inuicem & donantes vobismetipsis.*

Quid significetur per vitulū nouellū.

Colof. 3. Partes constitutiuæ vituli nouelli, id est hominis noui.

Colof. 3.

Quæ sint cornua huius nouelli vituli.

Quæ sint vngulæ huius nouelli vituli.

Cornua autem huius nouelli vituli, id est hominis noui non absurdè vt arbitror possunt accipi animi constantia & fortitudo Spiritus, siue Spiritus fortitudinis resistens vitij & peccatis, & huius noui hominis ventilans aduersarios.

Porro vngulas eius quibus terrā excitat, nihil impedit, si accipias cōtemptum sæculi & amorem Dei,

quibus terrena omnia abijciēs corpus suum in seruitutem redigat spiritui subijciendo, vt ei per cōsentium cooperetur & coallaboret in bonorum operum disciplina; quatenus in futurâ renouatione, sicut fuit laboris, ita & remunerationis particeps fiat, quod est ipsum nouū hominem duplici stola corporis, videlicet & animæ felicitate donari.

Duplex stola beatitudo corporis & animæ.

Siue huius vituli cornua & vngulas intellige, sublimes & speciales theoreticæ vitæ excessus, quia sicut cornua & vngulæ, de carne quidē procedunt, sed carnem excedunt, ita vir theoreticus cum sit in carne, carnales tamen affectus mente transcendit, dicens cum Apostolo, *in carne quidē ambulantes, non secundum carnem ambulamus.* Et iterum, *nostra autem conuersatio in cælis est; & alibi, siue sobrii sumus, vobis, siue mente excedimus, Deo.* 2. Cor. 5.

Alia significatio cornuū & vngularum nouelli vituli.

Sed adhuc Vitulus iste cornua & vngulas nondum habens, sed producens nouellus est, & necdum in taurinam fortitudinem profecit, quia cuiusq; credentis anima iam rudimēta sanctæ nouitatis arripiens, necdum autem Sanctorum Patrum perfectionem consecuta non adolescens, sed per diminutionem *Adolescentula* dicitur; eo quod præ imbecillitate sui ad perfectionis sublimitatem assurgere nequeat, primos autem bonæ operationis flosculos quantū præualet, producat, donec paulatim succrescendo, plenos iam & maturos virtutum fructus ostendat.

Dicat ergo sponsa, *ideo adolescens*

Transitio ad
expositionē
sequentis
Parag. a. hi.

tula dilexerunt te nimis, quia creden-
tium mentes adhuc in fide per gra-
tiam Diatim proficientes, valde pi-
etatis tuæ dulcedinem, ô dilecte
diligunt, quoniam illam pro sui
suauitate, tuo munere assequi pos-
sunt: tuo inquam munere, quia sine
te nihil possumus facere, ideoque
proclamo, & omnes te diligentes
mecum proclamare inuito, *Trabe
me: post te curremus, &c.*

VERSVS IV.

*Trabe me: post te curremus in odore
vnguentorum tuorum. Introduxit me
Rex in cellaria sua: exultabimus & leta-
bimur in te memores vberum tuorum su-
per vinum: recti diligunt te.*

VND E autem talis credentis a-
nimæ, & ad Deum suspirantis
proclamatio siue postulatio? nimi-
rum ex infirmitatis suæ considera-
tione, quâ se perpendit sine adiu-
uante gratia sibi sufficere nequaquã
posse, quia secundum Apostolum,
*non volentis neq; currentis, sed miseren-
tis est Dei.* Quæ sententia non destru-
itur liberum arbitrium, sed potius
ostenditur libero arbitrio diuinæ
gratiæ adiutorium omnino neces-
sarium sine quo omnis volūtas be-
nè operandi semper inefficax iace-
bit. Siquidem ex libero arbitrio
ad Deum veniendi quiuis habet vel-
le non quidem quod ipsum velle à
se ipso sit, *cum nec cogitare*, quod mi-
nus est, quàm velle, *aliquid à nobis
quasi ex nobis sufficientes simus.* Verba
sunt Apostoli, qui omne quod boni

Liberum ar-
bitrium de-
fenditur &
explicatur.
2. Cor. 3.

Philip. 2:

potest esse idem *cogitare, velle & per-
ficere pro bona volūate*, attribuit Deo,
non suo arbitrio. Si ergo Deus tria
hæc, hoc est, bonum cogitare, velle,
perficere operatur in nobis, primū
profecto sine nobis, secundum no-
biscum, tertium per nos facit. Si-
quidem immittendo bonam cogi-
tationem nos præuenit, immutan-
do etiam malam voluntatē sibi per
consensum voluntarium iungit, mi-
nistrando consensui facultatem vel
facilitatem, foris per apertū opus
nostrum internus opifex innotescit:
Igitur *nō volentis neq; currentis, sed mi-
serentis est Dei*, quando gratuito mu-
nere interius operantis gratiæ ha-
bemus velle; moueri autem ad cur-
sum sine ipsa adiuuante gratia non
possumus; cumque in cursu fueri-
mus, iterum miserantis gratiæ erit,
vt peruenire possimus.

Rom. 9.

Ista ergo tractio quam Sponsa
postulat, non est animæ Deum se-
qui nolentis compulsio, sed potius
volentis deductio, quam Propheta
in Psalmo precatur, *deduc me, inqui-
ens in semita mandatorum tuorum quia
ipsam volui*: ac si alijs verbis dicat,
quia dono tuæ gratiæ bene operan-
di habeo voluntatē, deduc me eius-
dem gratiæ adiutorio in actionē, vt
peruenire possim ad promissionē.

Tractio non
importat
compulsio-
nem.

Psal. 118.

Talis sane tractio quatuor mo-
dis fit, hoc est per prædicationē, per
infirmitatē, vel aduersitatem; per e-
uidentissima miracula, per persecu-
tionem vel percussionē, hoc be-
nigno Patre intendēte, vt faciat vo-
lunta-

Deus quatu-
or modis
trahit homi-
nem.